

Q. N.  
422,  
30.

X 1876401  
*De reliquijs Passionis Christi adu  
Pontificis magr. II*

20.



STRENARUM

ex

PECTORALI AA-  
RONIS DEDICATIONEM

&

CARMINIS VALEDI-  
CTORII RECITATIONEM

In Schola Altenburgensi

*Prid. Cal. Febr. A. C. clv lvc LXXVII.*

instit.

indicit

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,  
Rector.

---

ALTENBURGI,

Typis Gottofredi Richteri, Typogr. Aul.







L. B.  
S.



**R**eliquiarum Catalogum, quas de Passione Dominica adhuc superstites Pa-  
picolæ superstiosè ostentant, in programme  
anno superiori excuso, dedi: nunc eas  
referre placet, quæ occasione natiuitatis &  
infantiæ Christi ab iisdem non minore dolo, quàm superstitione  
hinc inde ostenduntur. Primo autem commemoranda est loco Casa  
illa Bethlehemitica, quæ Christum natum excepit, Romam trans-  
lata, sic tradente Baronio in *Ann.* ad *A. 1. n. 5.* quem tamen ob id  
acriter reprehendit *Is. Casaubonus Ex II. n. 5. p. 128.*

*II.* De loco Christi natali quatuor particulas Witeberga &  
tredecim Hala quondam asservarunt, teste *Wolffg. Franzio in rel. Hist.*  
*rel. Wit. & Hal.*

*III.* Indusium, quo Maria partus tempore induta, olim Hala  
exhibuit.

*IV.* Præsepe, cui natus Christus impositus, rupi incisum lon-  
gitudine  $5\frac{1}{2}$  & latitudine  $4\frac{1}{2}$  Spithamarum, adhuc hodie Bethlehemi pe-  
regrinantibus monstratur, non argento, ut *Baronius l. c.* arbitratur,  
sed marmore tectum juxta *Joh. Jac. Breuningium Itin. Palaest. p.*  
*258.* Particulas ejusdem videbis Colonia in Monasterio *S. Pantaleo-  
nis*, ut & in *Asceterio S. Mathie prope Treviros, Gemblacensi, Latiensi*  
*ad fl. Helpeum, Forestensi Germaniæ Inferioris & Andecensi*, ut *Gabr.*  
*Bucolinus T. II. & III. German. Sacr. refert.* Olim quoque *XV.* por-  
tiones





iones Witeberga exhibebat, & XXVI. Hala. In Hispania etiam reperiri, scribit Chamier Panstr. Cath. l. 16. c. 12. §. 5. Quâ autem virtute lapideum in ligneum fuerit conversum, definire nequeo. Tale ab Helena Constantii Imp. Coniuge Bethlehemo, vel Constantino- poli ex mente Ferreoli Locrii l. 5. Mar. Aug. c. 45. Romam delatum templum Mariæ Majoris habet, ut Corn. à Lapide in Luca II. nugatur immemor planè, Hieronymi tempore præsepe adhuc Bethlehemi existi- tisse. Majorem vero admirationem luteum præsepe meretur à Baronio ex Homilia Chrysostomi de nativitate Domini confictum, cum tamen ea Chrysostomum non agnoscat autorem, ut multis probavit Casaubonus l. c.

V. Fœnum Christo in præsepi suppositum se habere jactat Roma in æde Mariæ Majoris, & quondam Witeberga atq; Hala. Non possum autem non sacrificuli cujusdam Rotenburgici, nomine Iselæ, hic mentionem facere, qui penna ex Archangeli Michaelis ala clanculum ab hospita sublata, fœnum ex stabulo Altingæ arripuit, arre- ptumq; populo simplici hisce verbis commendavit: hoc est fœnum illud, super quod Christus recens natus in præsepi Bethle- hemitico recubuit, tantis præditum virtutibus, ut qui oscu- labitur, à peste per totum annum sit immunis. Præterea & om- nes adulteros & adulteras arcet, ne accedere illudq; oscu- lo dignari queant. Conf. Joh. Gerhardus L. de Morte c. 103. p. 186.

VI. Pannus in præsepi à Cœnobio Latienfi custoditur, ut Bucelivus T. III. Germ. S. testatur.

VII. De loco, ubi Angeli Christo nato pastoribus appa- ruerunt, tres particulae Halæ quondam sunt visæ.

VIII. Linteum à Pastoribus, ut creditur, quatuor Misae, le, Acheele, Cyriaco & Stephano Christo allatum invenitur Ra- gusæ ex relatione Henrici de Beauvan in Itiner. Hieros.

IX. Fasciæ, quibus Christus involutus, variis in locis reperi- untur. Reperies enim Romæ in templo Mariæ Majoris, S. Dionysii in Gallia, in Monasteriis Pantaleonis, S. Mathiæ & Latien- si, ut Philippus Brasseur de reliquiis hujus monast. memoriae pro-



prodidit. Particulas quoque duas olim Hala habuit & unam Witeberga.  
Unde autem fasciae? Si Nicephoro, dubiae alioquin fidei Historico, fides  
habenda, à Juvenale Episcopo Hierosolymitano Eudoxia, Theodosii  
Conjugi, dono fuerunt datae, à qua Pulcheria soror mariti, easdem accepit.

X. Involucrum, quo fasciae ligatae, quondam Hala tenuit.

XI. Cunae Josephi manu confectae non uno in loco ostenduntur;  
Argento enim inclusas & munificentia Philippi III. Regis Hispaniarum  
elegantè ornatas exhibet Roma in aede Lateranensi & Mariae Majoris,  
Monasterium S. Mathiae & Witeberga.

XII. Stramen cunis illatum quondam Hala sibi vendica-  
vit.

XIII. Lodix Romae in templo S. Pauli, & Salvatoris in Hispania  
delitescit, teste Joh. Calvino admonit. de reliquiis f. 333.

XIV. Umbilici portionem Romae in Ecclesia Lateranensi superesse,  
partim confirmat Autor des Bienen Korbs p. 56. partim sequ. versu:

Circumcisa caro, Christi sandalia clara,  
Ac umbilici viget hic praecisio chara.

XV. Praeputium Christi, cultro, ut multis videtur, lapideo am-  
putatum mater Maria morti proxima Johanni Evangelistae, ex revela-  
tione Brigittae libr. Revelation. c. 112. tradidit, quod ab eorum discipulis occultatum  
tam diu delituit, donec A. C. 800. ab Angelo Aquisgranum & inde  
A. 876. Romam in Ecclesiam Lateranensem fuerit transportatum, ex  
qua à militibus Caesareis A. 1525. surreptum tandem Dynastis de Angvil-  
laria cessit, in quorum manu adhuc esse dicitur. Cognosce autem, L. B.  
quam bellè inter se conveniant impostores? Nam Jac. de Voragine in  
Legenda multis probare satagit, Mariam Magdalenam heredem praepu-  
tium à Maria fuisse scriptam: auct. Alph. Salmeron T. V. Op. tr. 36. &  
Suarez in III. T. II. qv. 54. art. 5. disp. 47. Mariam morti vicinam praepu-  
tium non amplius secum habuisse statuunt. Qui etiam fieri potest, ut  
idem Charronius & Pictavii in Gallia, Antwerpiae & Vesontii inveniatur.

XVI. Tres sanguinis guttulas praeciso praeputio collectas  
quondam Argentina exhibuit, ut memorat Gerhardus l. II. Conf. Cash.  
part. II. art. 10. p. 666.

XVII.



XVII. De loco, in quo Christus circumcisus, particula olim  
Hala comparuit.

XVIII. Labrum lapideum, quo in Christus à Maria lotus,  
continet templum S. Sophiæ Constantinopoli, ut Georg. Christoph. à Neit-  
schütz / Itin. p. 50. refert.

XIX. Cista marmorea quadrata lavandis Christi fasciis  
adhibita Babylone in templo, cui nomen della Madonna, videtur.

XX. Scabellum marmoreum, cui cista imposita, Con-  
stantinopoli in eade S. Sophiæ sanctè custodiri, affirmat Neitschütz p. 51.

XXI. De Magis sua via sibi finxerunt somnia, quæ nullus etiam  
febricitantium unquam somniaret; Ut enim nihil dicam de regia Ma-  
gorum dignitate, numero ternario & nominibus, quibus juxta  
Zachariam Chrysopolitanum & Petrum Comestorem in Hist. Schol. fue-  
re appellati, & quidem idiomate Ebræo Apellius, Amerus & Das-  
mascus, Græco Magalah, Galgalah & Saracni, (ò ignorantiam  
& turpissimam Linguarum Ebrææ & Græcæ confusionem!) Latino  
Caspar, Melchior, Balthasar, nec non Barbaris vocabulis Ator,  
Sator, Peratoras: Satis tamen est nugarum, ossa illorum adhuc asser-  
vari Colonia in Capella Basilicæ d. Petri clathris probe munita, quò  
Mediolano à Friderico Barbarossa A. C. 1163. solo æquato Reinholdus,  
non Rudolphus, ut à Schotto Itin. Ital. c. 1. p. 125. vocatur, Archi Epi-  
scopus Coloniensis ex Comitum Dasselensium prosapia ortus, eadem trans-  
portavit, Ex Parthis vero Constantinopolim, & mortuo Martino  
Episcopo Mediolanum ope Eustorgii Præfecti fuisse delata, opinantur.  
Non solum autem Colonia, sed & Hala ac in Monasterio Andecensi illo-  
rum reliquias videre licet; quod res miraculi plena, ut ossa integra aliis  
cui compareant, & alibi partes.

XXII. Aurum à Magis Christo oblatum Mediolanum in eade  
S. Eustorgii, Genua & Witeberga possederunt.

XXIII. Thuris particulas Genua & Hala collegerunt.

XXIV. Myrrhæ, quam Caspar dicitur Christo exhibuisse,  
granula reliquiis Genuensibus, Witebergensibus & Halensibus accen-  
sentur.

XXV



XXV. Terebinthus arbor, sub qua Maria Christum in templum portatura quievit, per multa secula dicitur fuisse superstes: hodie tamen Arabum malitia combusta, ut Franc. Ferdin. à Troilo in Itin. Orienten. p. 293. tradit.

XXVI. Particulam de cereo, quocum Maria templum Hierosolymitanum intravit, legi puerperarum satis factura, offendet in aede S. Catharinae, quae est in Insula Corsica, teste Antonio Petro Philippino l. 12. Hist. Cors.

XXVII. Fasciae, quibus Christus Simeoni traditus, involutus ostenduntur Ragusae & quondam Hale.

XXVIII. Altaris, super quo Christus praesentatus, particula offert se Romae in templo Jacobi Hale ut & in Monasterio Gemblacensi.

XXIX. Brachium Simeonis, quo Christum excepit, S. Dionysii videri asserit Joh. Wilh. Neumayer in Itin. Joh. Ernesti Duc. Sax. p. 136.

XXX. Lac Mariae tanta copia hinc inde asservatur, quantum septem vaccae Helveticae decennii spatio vix edere possent; Habetur enim S. Dionysii in Gallia, ut Simon Bornmeist. Pharo Geogr. p. 222. docet: Parisius in S. Capella, teste Mart. Zeilero Itin. Gall. p. 165. in Monasteriis Brounenburgensi, Gerardimontensi, Laubiensi, Latiensti, Pantaleonis & Weingartensi: nec non Witebergae & Halle. Spectat hic lepidum Erasmi Colloqv. de peregrin. rel. iudicium, huius tenoris: Maria tantum lactis nobis in terris reliquit, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri uniparae, etiamsi nihil bibisset infans.

Ex his L. B. satis superque cognoscis, quam callidi simulque incauti reliquiarum architecti sint Pontificii, quamque pessime rudi plebeculae imponant. Nunc ad id me convertito, cuius gratia praesentes pagellae tuum subeunt conspectum. Nempe quoniam quidam Scholae nostrae εὐσεβοῦς pietatem, observantiam & amorem Seren. Principibus, Patronis & Praeceptoribus sub huius anni auspiciis, publica strenarum dedicatione testari voluerunt, nolui ardenti ipsorum desiderio deesse, quin



quin potius faces quodammodo subjeci, quibus ardor non extinctus ille quidem, sed paululum sopitus magis magisque excitaretur. Prohibent itaque sex boni commatis Juvenes ex fidei memoriae penu depromturi, quæ de sex gemmis ex Rationali Aaronis petitis pro indole & ætate commentati ipsius custodia crediderunt, & quidem.

I. JOH. NIC. Schuman / Salfeld. Serenissimo Patriæ Patri Musarumque Statori optimo FRIDERICO & Serenitatis ejus Celsissimis Fratribus Adamantem strenuè loco humilimè offeret.

II. DAVID HEINRIC. Brandt / Altenb. Magnifico Consiliariorum Ducalium Collegio exhibebit Smaragdum.

III. ABRAHAM Hempel / Alt. Topasium Ampliss. Dominis Inspectoribus consecrabit.

IV. HERMANNUS GEORGIUS Schwarze / Schönninga Saxo pl. Rev. Ministerio Sapphirum dedicabit.

V. LEONHARDUS JOH. à Braunschweig / Patritius Luneburgensis Rubinum Præceptoribus tradet &.

VI. GOTHOFREDUS Blumenhöffer / Geyerensis Sardinum Symmachis suis Xenii loco daturus.

Præfabitur autem toti Actui ADAM CONRADUS Gehl Rochliensis, Strenaque quæ annus est septuagesimus septimus seculi superioris, oblata attentionem Auditorum suis Commilitonibus parabit, quam debitis, Actu finito, excipiet gratis GEORGIUS Werner / Lichtensteinensis, strenuè vice adjecturus aurum, ex quo pectorale Aaronis, quod Hottingerus Exerc. Anti Morim. p. 84. Urim & Thummim minus benè appellat, fuit confectum. Hic tamen dicendi finem non faciet; Presso enim pede ipsam sequetur, quem sæpius declamantem Schola nostra audivit, Juvenis pietatis, probitatis, modestiæ, industriæ & obsequii laude cujusvis amore dignus

JOH.



AK II: 1444 (2)

JOH. MARTINUS Zeidler /

qui Carmine Heroico ultimum Scholæ patriæ dicturus vale gratias suis Evergetis persolvat, hisq; peractis provocabit Symmachos ad vota nuncupanda. Id autem expedient sermone metris adstris Et, secundum idioma

Ebraeum David Heinr. Brandt.

Græcum Gothofredus Eichelbrenner Eisenberg.

Latinum Abraham Hempel / &

Adam Conr. Gehe.

Germanicum Herm. Georg. Schwarze &

Gallicum Laur. Frider. Hartmann / Rudolphopolit.

Quibus igitur commodum est, Strenarum dedicationi, licet serius paulo instituta, & Sermoni Valectorio hodie interesse, officiose & amanter à me rogantur, sui copiam Scholæ nostræ facere, aut resq; dicentibus accommodare dignentur certi, benevolentiam quam re ipsa æquare non potero, verborum honore & grati animi confessione à me iri compensatum. P. P. Altenburgi Pr. Cal. Febr. A. C. MDCC LXXVII.



m. 5






Q. N.  
422,  
30.

PE

CA

M




**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



*Christi apud*



UM

ALIAA-  
TIONEM

VALEDI-  
TIONEM

rgensi  
loc LXXVII.

AGITTARIUS,

GI,  
ypogr. Aul.

